

populis fidissimum. Necnon aliqua gentium quoq; in hoc discrimina, & sacrorum etiam, citra perniciem amputantibus matris deum gallis. Contra mulierum paucis prodigiola assimilatio. Sicut hermaphroditis utriusque sexus: quod etiam quadrupedum generi accidisse Neronis principatu primum arbitror. Ostendat certe hermaphroditas *subiunges carpeto sua equas, in Treuerico Gallia agro repertas: ceu plane visenda res esset, principem terrarum insidere portentis. Testes pecori armentoq; ad crura decidui, suis adnexi, delphino praelongi ultima conduntur aluo, & elephanto occulti: oua parientium lumbis intus adherent, qualia occyssa in Venere. Piscibus serpentibusque nullis, sed eorum vice bina ad genitalia adherent. Buteonibus terni. Homini tantum iniuria, aut sponte natura franguntur: idque tertium ab hermaphroditis & spadonibus semiuiri genus habet. Mares in omni genere fortiores, praeterquam in pantheris & vrsis.

De caudis.

CAP. L.

CAuda praeter hominem ac simias omnibus fere animalibus, & oua gignentibus, pro desiderio corporum: nuda hirtis, ut apris: parua villosis, ut vrsis: praelongis setosae, ut equis. Amputata lacertis & serpentibus renascuntur. Piscium meatus gubernaculi modo regunt: atq; etiam in dextram atq; leuam mota, ut remigio quodam impellunt. Lacertis inueniuntur & geminae. Boum caudis longissimus caulis, atque in ima parte hirtus. Idem asinis longior quam equis, sed setosus veterinis. Leoni infima parte, ut bubus & forici: pantheris non item: vulpibus & lupis villosus, ut omnibus, quibus procerior. Sues retorquent, canum degeneres sub aluum reflectunt.

De vocibus.

CAP. LI.

Vocem non habere nisi quae pulmonem & arterias habent, hoc est, nisi quae spirant, Aristoteles putat. Idcirco & insectis sonum esse, non vocem, intus meante spiritu, & incluso sonante. Alia murmur edere, ut apes. Alia cum tractu stridorem, ut cicadas: Recepto enim ut duobus sub pectore canis spiritu, mobili occurrente membrana intus, attritu eius sonare viscera sat notum est. Caetera simul cum volatu incipere audiri, & desinere, ut muscas, apes. Sonum enim attritu & interiore aura, non anima reddi. Locustas pennarum et feminum attritu sonare, creditur sane. Item aquatilium pectines stridere cum volant. Mollia & crusta intacta, nec vocem nec sonum vllum habere. Sed & caeteri pisces, quauis pulmone & arteria careant, non in totum sine vilo sono sunt. Stridorem eum dentibus fieri canillantur. Et is qui caper vocatur in Acheloo amne grunnitum habet, & alij de quibus diximus. Oua parientibus sibilus, serpentibus longus, testudini abruptus. Ranis sonus sui generis, ut dictum est, nisi si & in his ferenda dubitatio est, qui mox in ore cocipitur, non in pectore. Multum tamen in his refert & locorum natura. Mutae in Macedonia

traduntur, muti & apri. Auium loquaciores quae minores, & circa coitus maxime. Alij in pugna vox, ut coturnicibus: alijs ante pugnam, ut perdicibus: alijs cum vicere, ut gallinaceis. Isdem sua maribus: alijs eadem, ut feminis, ut luscinarum generi. Quaedam toto anno canunt, quaedam certis temporibus, ut in singulis dictum est. Elephas citra nares ore ipso, sternitamento similem elidit sonum, per nares autem tubarum raucitati. Bubus tantum feminis vox grauior, in alio omni genere exilior quam maribus: in homine etiam castratis. Infantis in nascendo nulla auditur, antequam totus emergat utero. Primus sermo anniculo est. Semestris locutus est Cræsi filius in crepundijs: quo prodigio totum id concidit regnum. Qui celerius fari coepere, tardius ingredi incipiunt. Vox roboratur xiiij. anno. Eadem in senectate exilior: neque in alio animalium saepius mutatur. Mira praeterea sunt de voce digna dictu. In theatrorum orchestris scobe aut harum superiecta deuoratur, & in rudi parietum circumiectu, dolys etiam inanibus: currit eadem concauo vel recto parietum spatio, quamuis leui sono dicta verba ad alterum caput perferens, si nulla inaequalitas impediat. Vox in homine magnam vultus habet partem. Agnoscimus eam prius quam cernamus, non aliter quam oculis: totidemque sunt ea, quot in rerum natura mortales, & sua cuique sicut facies. Hinc illa gentium totque linguarum toto orbe diuersitas, hinc tot cantus & moduli flexionesque. Sed ante omnia explanatio animi, quae nos distinxit a feris, inter ipsos quoque homines discrimen alterum aeque grande quam a beluis fecit.

De agnascensibus membris, & dicta Aristotelis de vita hominis.

CAP. LII.

Membra animalibus agnata utilia sunt, sicut sextus homini semper digitus. Placuit in Aegypto nutrire portentum, binis & in auersa capitis parte oculis hominem, sed ijs non cernentem. Miror quidem Aristotelem non modo credidisse praescita vitae esse aliqua in corporibus ipsis, verum etiam prodidisse. Quae quanquam vana existimo, nec sine cunctatione proferenda, ne in se quisque & auguria anxie quaerant: attingam tamen quae tantus vir in doctrinis non spreuit. Igitur vitae breuis signa ponit raros dentes, praelongos digitos, plumbeum colorem, pluresque in manibus incisuras nec perpetuas. Contra longae esse vitae incuruos humeris, & in manu una duas incisuras longas habentes, & plures quam xxxij. dentes, auribus amplis. Nec vniuersa haec (ut arbitror) sed singula obseruat friuola (ut reor) & vulgo tamen narrata. Addidit morum quoque aspectus simili modo apud nos Trogus, & ipse autor seuerissimus, quos verbis eius subiiciam: Frons ubi est magna, segnem animum subesse significat: quibus parua, mobilem: quibus rotunda, iracundum, velut hoc vestigio tumoris apparente. Supercilia quibus porriguntur in rectum, molles significant: quibus iuxta nasum flexa sunt, austeros: